



FRAN. POLLETI  
DVACENSIS I.C.

Historia Fori Romani.



Restituta, illustrata, & aucta COROLLARIIS,  
ET PRÆTERMISSIS, quibus series affe-  
cta conficitur per PHILIP. BROIDÆVM  
ARIENSEM, eiusdem generum,  
Duaci, & Orchiarum  
Propræfectum.


Accesserunt eiusdem Broidæi ARGVMENTA singulorum Librorum  
& Capitulorum, cum INDICE locupletissimo.



LVGDVNI,  
Apud Franciscum Feuræum.

1588.



  
ILLVSTRI, AC GENEROSO  
DOMINO D. MAXÆMILIANO,  
VILAIN BARONI, AC DOMINO DE  
Rassinghien, Isenghien, Calkene, S. Ioan.  
ad lapidē, &c. Rectori, & Iuridico pro-  
uinciæ Insularum, Duaci, & Orchia-  
rum, Proprætori comitatus Alo-  
stensis, creandis & præficiendis  
Magistratib. Flandriæ Com-  
missario ordinario Præfe-  
cto suo obseruandis.

Philipp. Broidæus  
Vicarius

S.P.

**M** Irabitur fortassis quispiam, nec im-  
merito, illustris & generose Domi-  
ne, quòd hanc HISTORIAM FORI  
ROMANI à Francisco Polleto So-  
cero nostro ( quem honoris causa  
nomino ) delineatam apud nos in  
triennium ferè compressimus, et ve-  
lut auari opes suas in arca, sic in forulis nostris hanc  
flagellauimus, & strangulauimus, ut Martialis &  
Papinius loquuntur. Quid enim malignius, dicet il-  
le, quàm ipsi foro forum inuidere? Cui ut respoñdeam,  
non tam excuso occupationes, et calamitosa tempora,  
in qua incidimus, proh dolor, quanquam utrunque  
iure possem: Nam ut nostrorum temporum maligni-  
tatem refricando non exbulcerem, nemo melius nouit  
Præses vigilantiss. quibus, quantisq; ab eo tempore,

# Historia Fori Romani.

## ARGUMENTVM.

Forum describit, ac diuidit, & utriusque Foro Magistratus præficit, inuidiamq; deprecatur auctor.

## CAPVT PRIMVM.



Forum I est, quo res venum ab  
annonariis, causæque distra-  
henda à litigatoribus confe-  
runtur. Nam forus, qui indu-  
ctus ab Isidoro<sup>2</sup> in ius lati-  
norum obrepserat, nomine iu-  
stissimo, vt Reus peregrinita-

Forum.

Forus.

tis, dudum facessere iussus est: Et quod idem au-  
ctor cõmentus est etymon, cum Forum à fando,<sup>3</sup>  
vel Phoroneo Argiuo rege deducit. Etenim quã-  
quàm notationum, in vocabulis ratio periculosa  
fit, aded vt qui in ea versantur, sepe aut deridicu-  
li sint, aut cum intendunt indicem ad fontem, di-  
ctionem deriuaturi, in lubrico titubent, aliud pro  
alio commonstrantes, tamen in argumento præ-  
senti, tutissimum mihi videtur Teretij Varronis  
iudicium: Isidori verò, calumniis expositissimum.  
Vim adfert syllabæ quantitati, qui Forum à faci  
inuito syllabæ genio repetit: ita vanus est, qui La-  
tino verbo, & indigenæ auctorem exoticum affin-  
git. Non est verisimile Romanos exteri regis, at-  
que ignoti memoriam, forique constituti benefi-  
cium coluisse, Peloponnesum autem, Achaiam, re-